



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Mala cogitatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

CALLIDITAS DOLOSA. CAP. XIV.

PER eam utique vaftrum, callidum astutumq; hominem, ac dolis omnibus instructum significari tradunt, de qua Horatius :

Nunquam te fallant animi sub Vulpe latentes.

De arte poetica

Huic dolos à natura datos Lucretius attestatur. Et apud Varronem insignis adeo est animalis hujus calliditas, ut Vulpinari inde verbum confictum fuerit, quod ἀλωπεκίζειν dixerè Græci, cum astute doloseq; fieri aliquid exprimere significantius voluerint, atq; etiã pro decipere ἀλωπεκιάω, hinc αἰθωνα Pindarus Olympiis Agefidamo nuncupat, idq; ἀλωπεγν, quippe promptitudinem, & sagacitatem morum significare ait Demetrius Triclinius ejus interpres. Verba Pindari sunt :

Non. Marcell. in Varrone.

Τὸ γδ
Ἐμφυὲς ἔτ' αἰθῶν ἢ ἀλωπεκίη,
Ὅτ' εὐφρέεσσι λείοντες ἀγδαίξαντ' ἠδ' ὄσθ.

hoc est, Neque callida Vulpes, neq; latè rugientes Leones quem à natura acceperint morem immutarint. Vulpem sane Siculi ob verfutiam facillimamq; in deludendis Canibus motationem, doliq; promptitudinem, Cynædum appellavere. Deniq; hæc, ubi quid vafre sciteq; dictum factumve fuerit in Æsopicis fabulis principatum obtinet, veluti Davus in Comædiis, atq; apud Philostratum fabularum choream circa Æsopum lascivientem ducit, & Vulpibus apud Claudianum, Rhadamanthi sententia, fallacium hominum animæ immittuntur. Asertor noster super Herode loquens: Dicit, ait, huic Vulpi, subdolum nimirum & vaftram ejus astutiam notans, de qua Plutarchus in Moralibus ait: Pardum Vulpem olim contemnere solitum, quod ipse tot colorum lepore pellem variegatam haberet, cui Vulpes respondit, in animo sibi esse eam colorum varietatem, quam ille haberet in tergore. Ideo autem Vulpem senem laqueo capi non posse, dicitur. Et ut semel dicam, vel à Prophetis, ut ait Adamantius, nec Vulpis nec Lupinomen unquam fuit ad bonum aliquod usurpatum. Quod verò in Divinis literis legitur, *Partes Vulpium erunt*, indicat in manus dolosorum & fallacium verfutorum. que hominum tradendos hostes, diceret Euthymius, cujusmodi feruntur esse Palæstini, à quibus Saul una cum exercitu in insidias tractus, occisione occisus est. Quamvis Adamantius dici de iis interpretatur, qui extremo judicio demonibus malis addicentur. Sunt enim hi Vulpes illæ, quæ vineas Domini corrumpunt, ut apud Theocritum puerulo sæcundam vitem custodienti, Vulpes duæ insidiantur: quarum una maturescentes uvæ populatur, altera panarium properat exhaurire. Et quod ad Theocritianum hoc facit, Aristophanes Equitibus, milites Vulpibus assimulavit, quod racemos esitent per agros, dissipatisq; vitibus non exiguam, quaqua incubuerint, pauperiem faciant.

Luc. 17. 37.

Psal. 63. 9.

MALA COGITATIO. CAP. XV.

ILLæ vero (ut ad sacra redeamus) quæ Canticorum Cantio Sponsi jussu capi jubentur, quia nova teneraque vitium germina corrodunt, pravæ cogitationes sunt, & intelligentia perversa; quæ à genio malo suggeritur. Novellas porro Vulpes occupari jubet, prius scilicet, quam adolefcent & altius infideant, fiantq; adversus rectè vivendi rationem pugnaciores. Dum enim mala cogitatio in initio est, de corde facile potest exturbari: quæ si frequenter iteretur, diutiusq; insuescat permanere, quodam quasi usucapionis jure, animam facillimè ad consensum adducit: confirmato autem intra cor consensu, proclivis inde est ad peccandum effectus. Hinc illa Nafonis admonitio :

*Opprime dum nova sunt subiti mala semina morbi, Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,
Et tuus incipiens ire resistat Equus, Quo posita est primum tempore, virga fuit.
Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvæ, Tunc potent manibus summa tellure revelli,
Et validas segetes, quæ sunt herba, facit, Nunc stat in immensum viribus aucta suis,
Itaque*

*Principis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.*